

# Festa dei Santi Cirillo e Metodio Compatroni d'Europa

---

SACRA CONGREGATIO PRO SACRAMENTIS ET CULTU DIVINO - PROT. CD 202/81 -  
Romae, die 18 ianuarii 1981

E.me Domine,

Primo expleto saeculo a Litteris Encyclicis « Grande munus » promulgatis, quibus Papa Leo XIII in Calendario Ecclesiae catholicae celebrationem Sanctorum Cyrilli et Methodii inscribi iussit, necnon XI expleto saeculo a Litteris « Industriae tuae » Papae Ioannis VIII, quibus usus slavicae linguae in sacra Liturgia et laudabatur et suadebatur, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, per Epistolam Apostolican « Egregiae virtutis », die 31 mensis decembris anno 1980 data, Sanctos Cyrilum et Methodium totius Europae apud Deum caelestes Patronos constituit ac declaravit, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae praecipuis locorum Patronis rite competunt.

Dum nova haec statuta Tecum communicare placet, sacrum hoc Dicasterium opportunum dicit indicationes nonnullas circa rem praebere, quae in cunctis Europae partibus servari debent:

1. Celebratio Ss. Cyrilli, monachi, et Methodii, espiscopi, a vertente anno 1981, peragenda erit *gradu Festi*. Namque Sancti Cyrillus et Methodius, uti Sanctus Benedictus, posthac Europae Patroni coluntur.

Novus gradus celebrationis omnibus « Ordinibus » Missae celebrandae et Officii divini persolvendi inscribendus erit, qui in usum dioecesium et familiarum religiosarum eduntur. Eadem indicatio ponetur in novis libris liturgicis cura Conferentiarum Episcopali in posterum edendis.

2. Novus celebrationis gradus nullam secum fert variationem circa diem, quo ipsa celebratio peragitur, prout in Calendario Romano inventur, nempe 14 februarii.

3. Quoad textus adhibendos in celebratione Missae et Liturgiae Horarum, haec servanda erunt:

a) in *Missa* dicitur « Gloria » (cf. « *Institutio generalis Missalis Romani* », n. 31);

— lectiones ut in *Lectionario* eo die indicantur;

b) in *Liturgia Horarum*:

- ad Officium lectionis, Laudes matutinas et Vesperas, omnia fiunt ut in sollemnitatibus;
- in Hora media seu Tertia, Sexta et Nona, hymnus dicitur cotidianus; psalmi cum suis antiphonis dicuntur de feria. Lectio brevis de communi pastorum; oratio conclusiva est propria;
- Completorium dicitur de currenti hebdomadae die (cf. « Institutio generalis de Liturgia Horarum », nn. 231-233).

4. Ubi Sancti Fratres, ad normam iuris particularis, die vel gradu diverso rite celebrantur, et in posterum eodem die ac gradu quo antea celebribuntur.

Nactus occasionem, libenter sensus venerationis meae erga Te pando atque me profiteor

VERGILIUS NOE  
*a Secretis a.*

in Domino add.mum  
+ IACOBUS R. CARD. KNOX  
*Praefectus*

\* \* \*

*Nota della Conferenza Episcopale Italiana*

Dopo tale lettera è ovvio che l'invocazione dei suddetti Santi debba essere inserita nelle Litanie per i diversi riti di ordinazione e di benedizione (Cfr. SACRA CONGR. DEI RITI, *Calendario Romano*, ed. tipica 1969, p. 39 e p. 162).

L'invocazione « Santi Cirillo e Metodio, pregate per noi » va collocata dopo quella di « San Martino ».